UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpvs Doctrinæ Christianæ

Melanchthon, Philipp

Lipsiæ, 1572

VD16 M 2890

I. Qvae Opera Docenda & facienda sunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Visual Library

doloribus, quæritur remiſsio peccatorum & reconciliatio. De hac re dimicat conſcientia. Ideo Actor. 10. dicitur: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Sic clamat Propheta: Saluum me fac propter miſericordiam tuam. Etſi autem uerum eſt, ut hac conſolatione, cum fide eriguntur corda, & retrahuntur ex inferis, ſimul dato Spiritu ſancto incoari obœdientiam, & habitare Deum in corde renato: tamen ſemper hæc conſolatio præluceat, quod nobis placeat propter mediatorem. Ideo iuſtificare primum hic ſignificat ex reo non reum facere, & hanc relationem in uerbo iuſtificationis comprehendit Paulus, cum inquit: Iuſtificati fide pacem habemus. Et intelligitur fides obœdientia Chriſti, non propria nouitate. In infinitum enim anteferenda eſt Chriſti obœdientia noſtræ nouitati, ſicut Paulus inquit: Iuſtificati ſanguine ipſius.

QVARE NECESSE EST RETINERE exclusiuam, Sola fide, ſeu Gratis?

PROPTER quatuor cauſſas. PRIMVM, ut tribuatur honos debitus filio Dei, quod hæc ſola hoſtia ſit precium pro nobis, iuxta dictum: Hic eſt agnus Dei qui tollit peccata mundi. SECVNDO, ut conſcientiæ habeant firmam conſolationem, iuxta dictum Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut ſit firma promiſsio. Si enim penderet remiſsio ex dignitate noſtrorum operum, ſemper eſſet incerta, & opprimerentur perterrefactæ mentes deſperatione.

TERTIA cauſſa eſt, ut conſpiciatur diſcrimen legis & Euangelij, quia particula gratis fide propter mediatorem præcipue diſcernit legem & Euangelium. QVARTA, ut inuocatio fieri poſſit, quæ impeditur conſpectu noſtræ infirmitatis. Ideo accedendum eſt ad Deum fiducia ſolius mediatoris, iuxta dictum: Per hunc habemus acceſſum. Item Epheſ. 3. In hoc habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem eius, &c.

DE BONIS OPERIBVS QVAESTIONES TRES.

I. QVAE opera docenda & facienda ſint. II. QVOMODO placeant Deo. III. An maneant in ſanctis peccata in hac uita, & quæ peccata.

I. QVAE OPERA DOCENDA & facienda ſunt?

RESPONDEO. Præcepta in Decalogo recte intellecto, iuxta dictum Ezechielis 20. In præceptis meis ambulate, & facite ea. Ita enim Deus immenſa bonitate etiam uocem legis moralis in Eccleſia

ſemper

ſper inde uſque ab Adam ſonare uoluit, ut arguat peccatum, & ndat, quæ opera & qui cultus Deo placeant, ut regnantur corda rbo Dei in fide & operibus, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis rbum tuum. Et in cap. 15. Numeri: Non ſequantur cogitationes as, & oculos meretricios, ſed memores præceptorum Domini faci-nea, & ſint ſancti Deo: Ego Dominus Deus ueſter, qui eduxi uos de terra Aegypti. Et cum Ioannes inquit: Peccatum eſt, quicquid contrarium eſt legi, uult ſciri, normam eſſe operum legem Dei. Et ſtatim addit: Qui facit peccatum ex Diabolo eſt. 1. Cor. 6. Scortato-res, idololatræ, adulteri, &c. regnum Dei non poſsidebunt.

EXECRANDI ſunt igitur ἀντίνομοι, qui nolunt doceri legem moralem in Eccleſia, & fingunt omnes ſuos impetus eſſe motus Spiritus ſancti, & nolunt gubernari lege Dei. Hæc deliramenta Antinomorum ſunt horrendi furores Diabolici, quales fuerunt olim ſimilium ſectarum multarum, aduerſus quos muniamus nos uerbo Dei: In præceptis meis ambulate. Item: Pater ſanctifica eos in ueritate, ſermo tuus eſt ueritas. Petamus etiam ardentibus uotis, ut ipſe filius Dei gubernet nos, ne contagijs errorum polluamur, ſicut precatur Propheta: Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me.

II. QVOMODO PLACENT bona opera Deo?

RESPONDEO. Placent in conuerſis ad Deum hoc modo. PRIMVM neceſſe eſt credere, quod perſona ſit reconciliata Deo propter Chriſtum gratis, fide, non propter dignitatem noſtram. SECVNDO ſciendum eſt, nos non ſatisfacere legi, ſed hærere in nobis multa interiora peccata, dubitationes & malas inclinationes, peccata ignorantiæ & omiſsionis. Et deploranda eſt noſtra immundicies, & repugnandum dubitationibus & effectibus. TERTIO ſciendum eſt, tamen oportere in nobis eſſe incoatam obœdientiam iuxta præcepta Dei, & hanc Deo placere in reconciliatis propter mediatorem, ſicut dictum eſt: Offerte Deo hoſtias ſpirituales, placentes Deo propter Ieſum Chriſtum.

III. MANENT NE PECCATA in ſanctis in hac uita?

RESPONDEO. Sunt & manent peccata in renatis in hac uita, uidelicet, non delicta contra conſcientiam, ſed interiora mala, multum caliginis & dubitationum, multæ ignorantiæ, omiſsiones, prauæ inclinationes, & flammæ malorum affectuum, quibus tamen repugnant ſancti Spiritu, retinentes timorem Dei, fidem & inuocationem, nec ruentes contra conſcientiam, ſed deplorantes noſtram infirmitatem, ac petentes & credentes remiſsionem, iuxta dictum: Si

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN